LAEMMLEIN, J.
De variolarum infantilium exstirpatione . . . 1802.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
VARIOLARUM INFANTILIUM
EXSTIRPATIONE
VARIOLARUM VACCINARUM INSITIONE
PERFICIENDA.

QUAM

EX AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA ACADEMIA PATRIA

PRO

SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS

STATIM POST ACTUM DISPUTATORIUM CONSEQUENDIS

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JOHANNES LAEMMLEIN,

PHIL. DR.

Ad Diem 3tm 7bris *1802.*

H. L. Q. C.

BASILEAE

APUD SAM. FLICK MDCCCII.

VIRIS CELEBERRIMIS

DOMINO

DOCTORI CAROLO FRIDERICO HAGENBACH,

ANATOMIAE ATQUE BOTANICES PROFESSORI MERITISSIMO, FACULTATIS A. H. DECANO SPECTABILI ATQUE DIGNISSIMO, etc. etc.

DOMINO

JOHANNI JACOBO STÜKELBERGER,

MEDICINÆ PRACTICÆ PROFESSORI EXCELLENTISSIMO, SPECTATISSIMO DOMINO BRABEUTÆ, etc. etc.

PRAECEPTORIBUS ATQUE FAUTORIBUS
SUMMA OBSERVANTIA COLENDIS
SPECIMEN HOCCE
PIETATIS ERGO,
CUM VOTIS RITE SUSCEPTIS,
D. D. D.

AUCTOR.

I.

Succincta Variolarum Vaccinarum Descriptio.

§. 1. Inter plurima, quæ elapſo nuper ſeculo decimo octavo, arti medicæ incrementa acceſſerunt, vix aliud inventum præclarius exſtitit, quam variolarum vaccinarum detectio, ſeu ſummam utilitatem ſpectes, quæ ab illarum inſitione in humanum genus redundat, quum mortales contra variolarum infectionem tueri perhibeantur, ſeu rapidum curſum conſideres, quo utiliſſimum inventum, paucorum annorum intervallo, ad diſſitos gentes per univerſum vix non orbem tradebatur 1).

1) Quamprimum Jenneri Diſquiſitio de Variolis Vaccinis anno 1797. in Anglia apparuit, omnium medicorum attentio in novum hoc inventum convertebatur.

Pearſon præcipue et Woodwille, prior in opuſculo an inquiry, concerning the hiſtory of the Cow-pox, principally with a view to ſuperſede, etc. Lond. 1798. 8. cujus operis germanicam verſionem Küttlinger curavit; alter autem im peculiari tractatu: Reports of à ſeries of inoculations for the variolæ vaccinæ or Cow-pox; with remarks and obſervations, etc. Lond. 1799. 8. ins Deutſche überſetzt von Frieſe, Breslau 1800. Jenneri experimenta repetere et commentariis illuſtrare cœperunt. Woodwille præcipue qui noſocomio ſic dicto. Hoſpital of Small-pox and Inoculation præerat, frequentiſſima occaſio contigit, ut ſolertius et accuratius in hanc rem inquireret.

Fama hujus inventi mox ad exteros translata, omnium primus in Gallia initio anni 1800. Rochefaucault-Liancourt variolarum vaccinarum inſitionem tentavit; ſequente menſe

Etsi jamjam Suttoni 2) tempore haud ignotum erat, in quibusdam angliæ provinciis antiquitus opinionem in plebe vagari, homines pustulosi eujusdam in vaecis obſervare ſoliti, inoculatione, à variolis infantilibus poſtea intactos manere. Ab eo tempore nil ultra innotuit.

Illuſtri Jenner honos et grates debentur, qui omnium primus his veſtigiis inhærens, ſedula obſervatione et ſtudio rem ulterius indagavit, et inſtitutis, iiſque plurimis experimentis, rem omnino ſe ita habere et variolarum vaeeinarum certiſſimum eſſe contra Variolas naturales tutamen extra omne dubium poſuit. Is enim anno 1797. peculiari tractatu 3)

Februario medici Pariſienſes peculiare hunc in finem inſitionis, inſtitutum, Londinenſis ad exemplum, ex quodam medicorum delectu conſtituere, et celebrem etiam Genevenſem medicum Aubert Londinum mittere decreverunt, ut praxin nnyæ inſitionis ibi perſpiceret, et ea, quæ didicerat, ad ſocietatem medicam Pariſienſem referret. Eodem anno menſe Junin ipſe Woodwille Lut tiam Pariſiorum venit, ibique praxim inſitionis præſentihus medicis oſtendit. Plurimum de Civihus ſuis Cl. Colon merebatur, qui in proprio filio inſitionem peregit, atque jam ante Woodwillii adventum ruri tuſculum ſuum novo huis inſitionis inſtituto deſtinaverat. Mox inde Variolar. vaccinar. inſitio per univerſam Galliam, Belgiam, Hollandiam propagabatur. Ultra 130. celebres urbes in Gallia hanc praxim ambobus manibus amplectebantur. Genevæ introducta hac methodo graſſaute ſæviſſima variolarum epidemia Celbr. Odier induſtria 800 proles immunes abhac epidemia ſervati ſunt.

In Germania medici Vindobonenſes, primum vaccinarum variolarum inoculationem repetierunt. Summam laudem Clariſſimi viri D. de Caro, de Careno et Portenſchlag promeriti ſunt. Medici dein Hannoverani eodem zelo inſitinnem promovere cnuabantur, inter quos præcipue Ballhorn et Strohmeyer eminent. Inde in totam Germaniam inſitio propagata eſt. Fila materia vaccina imbuta Cl. de Caro Conſtantinopolim miſit, ut proles Legati Angliæ Elgin inocularentur; atque optimo quidem cum effectu. Brevi inde, in adjacentem Aſiam novæ inſitionis praxis tranſibat.

In India quoque occidentali Angli vaccinationem peragebant. In urbe Gibraltar Marſchall inſitionem introduxit. Idem quoque in Italia, Hiſpania, Suecia, Dania pari felicitate contigit. Nuperrime demum, lanceolis ex ebore confectis et materia vaccina imbutis, à Cl. de Caro in Ruſſiam transmiſſis, ibique variolar. vaccinar. inſitio introducta eſt.

2. Sutton von der Inoculation der Blattern, quo haud aliquis in Europa pluribus hominibus variolas naturales inſeruit.

3) Primam Variolar. vaccinar. mentionem Adam fecerat in libro: Obſervations on morbid Poiſons, Phagadæna and Cancer, etc. Lond. 1795. ins Deutſche überſeẞt von Ballhorn. Hannov. 1800. Jenneri autem opus comparuit 1798. Londini

novum hoc inventum orbi erudito communicavit, addita pustulosi morbi, qualis in vaccis oritur, descriptione.

Ita enim habet: „ Apparet primo in vaccarum uberibus pustularum irregularium species. Mox ubi erupere, colorem plerumque ex pallido cœruleum, vel potius quodammodo lividum ostendunt, et erysipelatosa inflammatione circumdantur. Hæ pustulæ, nisi apta remedia adhibeantur, in ulcera phagadænica, magnas molestias excitantia, degenerare solent. Tunc animal ægrotare et parum lactis secernere. Pustulæ nunc aliquæ inflammatæ apparent in variis partibus, præsertim in manibus hominum mulgendo operatis, et non raro in carpo, ubi manus brachio jungitur, dein in suppurationem abeunt, et speciem parvi ab ustione illati ulceris referunt. Plerumque Phalanges et apices digitorum corripiuntur; at in quacunque parte pustulæ eminent, nunquam non si partis situs id admittat, superficiei inflammatio orbicularem figuram describit, cujus peripheria supra centrum eminentior et colore fere cœruleo est. Contagiosa materia continuo à systemate lymphatico absorbetur; tumores tunc apparent in utraque axilla, totum corpus afficitur, pulsus frequens, horror, lassitudo universalis, dolores lumborum dorsique, vomitus accedunt; capitis gravitate ægri conqueruntur, et per intervalla delirant. Hæc symtomata plus minusve gravia, plerumque unum, duos, tres, quatuorve dies durant; in manibus tandem ulcerosæ pustulæ remanent, quæ pro varia partium sensibilitate, valde molestæ esse solent, sæpius lente sanantur frequentius phagadenicæ evadunt et similimæ vaccinis fiunt; quod

---

sub titulo: An Inquiry into the causes and effects of the Variolae Vaccinae, à disease discovered in some, etc. by Edward Jenner. Lond. 98. 4. in linguam latinam versum à D. de Careno Ed. Jenneri Disquisitio de Causis et Effectibus Variolar. Vaccinar. etc. c. fig. colorat. Vindobonae 1799. ins deutsche übersetzt: Ed. Jenner Untersuchung über die Ursachen und Wirkungen der Kuhpocken, etc. von D. G. F. Ballhorn. Hannover. 8.

tunc ut plurimum ſolet contingere, ſi partes hæ ab ægris, digitis materia hac conſpurcatis, perfricentur. Nunquam in ægris, quotquot mihi videre licuit, imminutis et diſſipatis ſymptomatibus febrilibus, puſtulas in cute prodiiſſe, obſervavi, unico caſu excepto, in quo paucæ tantum puſtulæ in brachio, eæque parvæ, coloris vivido rubræ prorupere, quæ tamen brevi iterum, quin in ſuppurationem tenderent, diſparuerunt, ita ut haud ſciam, an aliquem eum ſymtomatibus praecedentibus nexum habuerint. Miasma infantilium variolarum in corpus reſorptum ſimilia fere ſymtomata ſolet producere. Singularis autem Veneni variolarum vaccinarum indoles ea eſt, quod homo ab his ſemel correptus, immunis poſtea à variolarum humanarum contagio perſiſtat; nam ſeu corpora variolarum effluviis exponantur, vel ipſum etiam contagium varioloſum in cute inſeratur, nunquam inde varioloſus morbus enaſcitur.

§. 2. Origo Veneni variolarum vaccinarum. Variæ auctorum conjecturæ.

Priusquam Auctorum de origine hujus veneni ſententias proferam, antiquiſſimum variolosi vaccarum morbi exemplum adducere mihi liceat. Sexto jam ſeculo, Marius Episcopus Lauſannensis in Hiſtoria sui temporis Variolæ (unica enim tunc temporis exſtitit) mentionem fecit, qua vaccæ præsertim corripiebantur, "Hoc anno (570, seu potius 571.) morbus validus cum profluvio Ventris et Variola, Italiam Galliamque valdé afflixit, et animalia per ea loca maxime interierunt." Celeber quoque hiſtoriæ Helveticæ auctor Müller (Geſchichte der Schweiz T. j. p. 152.) locum citat, ex Warnerrido, de Glandulis in modum nucis, quas ſequebatur febrium æſtus; et Anaſtaſius, Bibliothecarius romanus, de Percuſſione ſcabierum loquitur, ut nemo poſſet mortuum ſuum internoſcere, quod de varioloſo morbo in-

telligendum esse putat, qui, quum primum homines invasit, uti lues syphilitica, quum vera medendi methodus medicos adhucdum lateret, vel ex aliis nobis ignotis caussis, vehementius corpora affligebat. 1)

Nuperrimis denique temporibus Cl. Steinbeck ex literis publicis sub titulo: Allgemeine Unterhaltungen vom Iahr 1769, Göttingen bey Rosenbusch im 39. Stück, pag. 305 bis 312. demonstravit, in terris Hannoveranis tunc temporis vaccinas jam exstitisse, ibique et jam locum ex Livio citat. 2)

Quomodo autem morbus hic vaccarum ægritudo esse inceperit, Cel. Jenner, 3) novam plane sententiam proponit, eumque in ulcere equorum ungulas occupante natum, et inde ad vaccas traductum fuisse existumat.

Sequentibus autem argumentis Jennerus sententiam suam confirmare tenditur.

1. Quidem variolarum vaccinarum originem inde derivandam esse existimat, quod observatione constet, variolas vaccinas in lactariis apparentes, (nisi forte à Vacca aut ancilla infecta inferantur,) morbo quem ibi descripsit, equino, in prædia invectum fuisse per servos mulctui simul et equorum curæ adhibitis.

2. Quod sit vulgaris in hac vaccarum gregibus regione refertissima morbus, cujus principia ab equis trahi eorum, qui ægra animalia tractant, testimonio confirmatur.

3. Quod morbus hic in Jrlandia et Scotia plane incognitus sit, ubi nulli in lactariis servi adhibentur.

---

1) Wieland Deutscher Mercur 1801. 4 Stk. S. 320.

2) Salzburg. medic. - chirurg. Zeitung, v. 1802. No. 24. p. 473.

3) Disquisitione citata. P. 2. p. 51.

4. Quod obſervatum fuerit, materiam morbificam in equis generatam caſu ſubinde morbum hominibus intuliſſe variolis vaccinis adeo ſimilem, ut utrasque puſtulas à ſe invicem dignoſcere, admodum difficile fuerit.

5. Quot experimentis conſtare videatur, quosdam hoc modo ac equis infectos à variolis immunes perſtitiſſe.

6. Arguitur idem ex progreſſu et alterno habitu puſtulæ in brachio pueri materia ex manu viri ab equo infecti desumta enatæ et ex ſimilitudine morbi cum variolis vaccinis, conſequentibus univerſalis agritudinis ſymtomatibus.

Aſt Woodwille 1) aliique in Anglia et Italia medici hæc argumenta aliis iisque gravibus refellere conati ſunt, quæ huc potiſſimum redeunt, nulla arte materia ex equorum ulceribus desumta, vaccarumque uberibus inſita, variolas vaccinas produci potuiſſe; variolas porro vaccinas etiam in iis regionibus observatione noviſſima detectas fuiſſe, ubi vaccarum mulctui nulli ſervi equorum curæ inſervientes adhiberi ſolent.

Jnterim hiſce argumentis ſe plane haud victum eſſe putabat Jennerus, eamque ſententiam nunc quoque defendit; neque uti videtur absque ſimilitudine. Nam nuper Cl. Colemann experimentum, quo materia ex equorum ulcere desumta, vaccarumque uberibus inſita, variolas vaccinas producere voluerat, optata cum eventu inſtituit. (2)

Alii autem medici, angli præcipue, variolas vaccinas ex quadam variolarum infantilium degeneratione enatas eſſe exiſtimant. Quæ autem harum ſententiarum vero proprius accedat, à repetitis medicorum veterinariorum experimentis merito exſpectamus, præſertim, quum de ipso ulceris nomine adhuc lis inter medicos sit.

---

1) Woodwille Beſchreibung einer Reihe von Kühpockenimpfungen, a. d. Engl. von Frieſe. Breſslau 1800. 8.

2) Bibliothéque Britannique 1801. p. 128.

§. 3. *De Insitione Variolarum vaccinarum inoculationi variolarum infantilium præferenda.*

Præmiſſa brevi vaccinarum deſcriptione, variisque de origine illarum ſententiis, rationes oportet adducere, quæ inſitionis variolarum vaccinarum præſtantiam demonſtrant. Triplici id potiſſimum argumento abſolvitur 1).

1. Variolæ vaccinæ morbi læviſſimi ſpeciem præ ſe ferunt.
2. Variolæ vacinæ haud morbum contagioſum conſtituunt.
3. Variolæ vaccinæ nunquam eruptione univerſali ſtipatæ ſunt.

Quod primum emolumentum attinet, id unanimi medicorum parentumque ſuffragio ubique terrarum confirmatur. Adeo enim levis ægritudo eſt, ut vix morbi nomen mereatur, et ob hanc ipſam levitatem dubium ſubinde apud plebem naſcitur, an variolæ vaccinæ infantes ſuos in poſterum contra variolarum morbum tueri queant.

Longæ majus autem variolarum vaccinarum emolumentum inde petendum eſt, quod non, uti infantiles variolæ, contagio homines afficiant. Non igitur opus eſt, ut mater nondum variolis defuncta, ab infanti varioloſo morbo nunc laborante ob contagii metum diſcedat; impune infantes hucusque à varioloſo morbo liberi inter vaccinatos degere, et pluribus luſis indulgere licet; neque infantes, quos vaccinare animus eſt, extra ſuos mittere oportet, quum ſanos nullo modo, niſi immediato contactu inficiant; pauperrimæ quoque plebis absque ullis ſumptibus prolibus variolas vaccinas inſerere licet, cum vaccinandi cauſa infantes neque in noſocomium mittere, aut in hortis magnis ſumtibus pro hoc negotio conducendis, ſuſtentare debeant, cum medici in propriis pauperum domibus vaccinare infantes poſſunt. Atque ob eam potiſſimum cauſam maximum hominum numerum vaccinationis beneficio participem reddere et ruri præſertim epidemias vario-

---

1) Cl. de Caro in Claſſico de Variolis vaccinis opere: Obſervations et Expériences ſur la Vaccination, dernière édition. Vienne 1802. hæc optime expoſuit.

losas prævertere licet, cum ruricolæ absque omni specioso argumentorum apparatu, quo urbium incolæ utuntur, huic insitioni proles suas submittant. Accedit, quod neque ætas, neque anni tempus, neque dentitio, neque aliæ ægritudines vaccinationem impediant.

Cl. Jenner, Ed. Jenneri nepos infanti 20 horarum, medici Genevenses plurimis infantibus, paucis post nativitatem diebus, Cl. Portenschlag infanti 15to dierum variolas vaccinas inseruerunt.

In adultis quoque et in vegeta ætate constitutis viris optimo cum effectu hanc insitionem, imo etiam in senibus, institutam fuisse legimus. Neque in eligenda anni tempestate nos nimium solicitos esse oportet. Plurima, quas habemus vaccinationum historiæ, hyeme, eoque etiam rigidissimo institutas fuisse notum est. Cl. Woodwille, non obstante frigoris hyberni inclementia anno 1798. Londini, in nosocomio prima insitionis experimenta instituit. Idem Cl. de Caro anno 1800 in oppido Brunn am Gebürg, haud procul à Vienna dissito, mense Novem- et Decembri præstitit.

Neque dentitionis molimina aut symtomata nos terreant. Plurimos infantes dentitionis periodo, absque ullis inde natis incommodis Cl. de Caro vaccinavit.

Tertium tandem, idque summum insitionis vaccinarum variolaram emolumentum in eruptionis universalis absentia consistit. Quantum inde utilitatis in sexum amabilem redundat, quum variolarum vaccinarum insitio, securius adhuc, quam infantilium inoculatio, corporis, faciei præsertim pulchritudini conservandæ inserviat. Non raro circumstantiæ incidunt, ubi vel infantilium etiamvariolarum insitio, ob universalem eruptionem, febremque cum illa conjunctam, tuto in usum vocare non licet, e. g. durante graviditate etc.

Jenner nepos fæminæ in ultima graviditatis septimana, Cl. autem de Caro nutrici tertia post partum hebdomade, variolas vaccinas inse-

ruit. Monet hinc Cl. de Caro parentes, ut vaccinationem inſtituere ſinant, priusquam funeſta epidemia varioloſa ingruat, metus enim eſt, ut utriusque dein morbi complicatio incedat.

Paucis hic de illa univerſali eruptione, quam Cl. Woodwille in noſocomio Londinensi obſervavit, mentio facienda eſt. Hanc eruptionem non à variolis vaccinis, sed à variolarum infantilium cum vaccinis connubio ortam fuiſſe, Cl. de Caro extra omne dubium poſuit.

II.

Variolarum Vaccinarum insitio.

§. 4. *Descriptio Vaccinæ durante ejus decursu.*

Exactiſſimam vaccinæ deſcriptionem Cl. de Caro nobis exhibet.

Appropinquante tertia aut quarta die, ſerius tardiusve rubedo inſitionis locum occupat, quinta circiter die in veſiculam quæ ad duodecimam usque diem increscit, ſeſe elevans. Plana est hæc veſicula, albiperlarum coloris, et in medio illius punctum cavum inſitionis vulnusculo reſpondens conſpicitur. Verſus nonam aut decimam diem (ſubinde etiam citius) febricula obſervatur. Puſtula tunc areola valde magna circumdatur, quæ ad perfectam uſque crustæ formationem perdurat. Areola eadem fere ſemper ratione imminuitur, ac cruſtam increſcere conſpicimus. Cruſta hæc admodum nigra, valde dura et rotunda deprehenditur, cutique fortiter, tribus ſubinde quatuorve ſeptimanis adhæret, decidit deinceps, et foveolam minorem majoremve relinquit. Materia in veſicula contenta limpiditatem ſuam ad deſiccationem uſque conſervat. Febris, cujus mentio facta eſt, ſubinde vix percipitur; pulſu frequentiori, modico et manuum calore, laſſitudine et inquieto noctis tempore ſeſe manifeſtans. Glandulæ ſubaxillares quandoque intumescunt; interim hoc ſymtoma magis inſolens Viennæ,

quam in Anglia esse solet. Universim lævissimi morbi species est, ut neque ante insitionem, neque sub insitionis decursu, neque finitis insitionis periodis, ullo remedio opus sit. Textura autem pustulæ vaccinæ haud quaquam vesicæ similis est. Pustula enim ex innumeris vesiculis, unica pellicula inclusis constat, quam structuram nudis etiam oculis conspicere licet. Ex incisapustula tantum guttula seri limpidi exstillat, neque si eam data quavis opera conprimas, omnisevacuatur, quomodo in vesica à cantharidibus excitata, observamus, tot enim incisionibus, quot cellulæ adsunt, opus est. Hinc patet, quare haud facile sit, materiam vaccinam sufficienti copia comparare, ut in dissitas regiones transmitti possit.

§. 5. *Optima Variolas vaccinas inserendi methodus.*

Inter omnes, quas medici excogitarunt, seu veteris, variolarum infantilium, seu novæ, vaccinarum scilicet, methodos, illa omnibus præferri meretur, quæ simplicitate et facili operationis modo plurimum se commendat. Hæc autem optimorum nunc medicorum consensu illa censenda est, qua consueto in variolarum infantilium inoculatione loco, incruenta incisione sublata epidermide, in utroque brachio lanceolæ cuspide venenum variolarum vaccinarum corpori immittimus. Quum ob variam epidermidis in variis hominum corporibus texturam et exiguam sæpe materiæ variolosæ copiam nullus ab insitione effectus sequatur, certioris eventus causa etiam in femore tertia incisio fieri poterit. Cavendum tamen est, ne in eodem artu, brachio e. g. incisionis plurima nonnullorum more nimium sibi contigua sint; erysipelatosa enim ne accedens et late se diffundens inflamatio phagadænicis forte et pertinacibus ulceribus ansam præbeat. Vulnusculum primis diebus sola bracteorum lamella, emplastro adhæsivo, ut simplici deligatione adversus aeris accessum muniatur.

§. 6. *Variolæ Vaccinæ spuriæ.*

Multorum, non solummodo artis medicæ imperitorum, sed medicorum

etiam animis error insidet, duplex esse, uti variolarum infantilium ita vaccinarum quoque genus, Veras nempe Spuriasque Vaccinas, quo argumento adversarii præcipue novæ insitionis multum sibi placuere. At unicum duntaxat existit variolarum vaccinarum genus, certis et immutabilibus chracteribus jam supra descriptis, insignitum.

Jd tantum sub nomine Variolarum vaccinarum spuriarum Iennerus indigitare voluit in vaccis nimirum non minus, quam in hominibus pustulas quandoque occurrere, quæ evolutionis modo, forma, colore, decursu à variolis vaccinis plurimum abludunt, neque adversus variolas homines tuentur.

De Vaccis enim Jennerus 1) jam in primo opere sequentia monuit. Oportet autem hic animadvertere, pustulas non raro sponte in vaccarum uberibus oriri aliquantum dissimiles, quamvis nonnunquam, quod rarius contingere solet, famuli mulgendo lacti inservientes, pustulis in manibus inde exortis, imo et nonnullis incommodis à resorptione materiæ moleste afficiantur. At hæ pustulæ longe mitioris indolis sunt, quam quæ à contagio variolarum vaccinarum, de quibus hic sermo est, oriuntur.

Istæ pustulæ non sunt in hoc morbo coerulei aut lividi coloris, neque erysipelate stipantur, neque ad phagadænicam naturam tendunt, sed crusta solent finiri, quin alia symtomata morbosa in vaccarum corporibus inde nascantur. Morbus hic variis quidem anni temporibus observatur, præcipue tamen ineunte vere, quum vaccæ ab hiberno pastu ad graminis recentis usum transeunt, vel etiam si proprios vitulos lactarent. Sed nullum omnino cum morbo, de quo hic agitur, similitidinem habent, neque corpus humanum ullo modo afficere valent. Summopere igitur cavendum est, ne apparentibus his pustulis hominibus immunitatem à variolis promittamus.

Cl. Hellwag quoque in Holsatia varias pustularum species observavit, illis longe disimiles, quas veras variolas vaccinas appellant. (2.)

---

1) L. c p. 8.
2) Eyerels Annalen der Kuhpockenimpfung, Erstes Heft 1802.

Jn altero poſtmodum opere Jennerus ſequentes variolarum vaccinarum ſpuriarum fontes enumerat 1).

1. Naſcuntur à puſtulis in uberibus vaccarum apparentibus, nullo tamen ſpecifico veneno imbutis.

2. Ex materia (etsi in initio specificum venenum continebat) aut putrefactione, aut alio sensus nostros fugiente ratione dissoluta et decomposita.

3. Ex materia ex ulcere antiquo desumpta, etsi hoc ulcus à veris variolis vaccinis originem traxerit.

4. Ex materie in cute humana à contactu peculiaris materiæ morbificæ in equo nata.

§. 7. *Corrollaria Practica.*

Ex iis, quæ hucusque de variolarum vaccinarum indole, et optima, illas hominibus inserendi methodo tradidimus, facile patet, tumultuarium et præpoſterum agendi modum in re humano generi ultilissima, multis, iisque gravibus erroribus ansam posse præbere, ut itaque summopere cavere oportet, ne præcipitanter in novo inſitionis negotio versemur, et pulcherrima spe excidiſſe aliquando doleamus.

Summo itaque jure Cl. Hecker (2) medicos admonuit, ut maxima attentione omnis generis fallacias prævertere ſtudiant.

Sequentibus autem cautelis optatus novæ insitionis eventus potissimum nititur.

1. Non nisi vir artis medicæ peritus variolarum vaccinarum insitionem peragat.

Quis enim, niſi medicus, optimam variolarum vaccinarum materiem

1) L. c. P. 2. p. 44.
2) Hecker, die Pocken ſind ausgerottet. 1802. p. 223.

eligere, quis conſtantem variolarum vaccinarum decurſum melius obſervare et veras à ſpuriis aptius dignoſcere queat, quam exercitatus in arte medicus! Male humano generi conſulunt, qui fœminis totum inſitionis negotium committi ſuadent. Sileat mulier in eccleſia, et recte Sydenhamus jamjam monuit, ut mulieres de refocillandis potius ex alimentorum apparatu convaleſcentibus ſolicitæ ſint, quam ipſæ de morbi eorum natura et optima illis medendi methodo judicium ferant.

Neque ſacerdotes huic negotio ſeſe immiſceant, ſed medicorum duntaxat argumenta populo dilucidare, illumque, ut novo variolarum infantilium antidoto in prolium ſuorum ſalutem utantur, perſuadere ſtudeant. In lethali illa variolarum epidemia, quæ duos ante annos in Sabaudia ſæviebat, infantes quoque, quibus variolæ vaccinæ fuerunt inſitæ, à variolis nihilominus infantilibus correptos fuiſſe, vulgo dicebatur; at re à Collegio medico et magiſtratu accuratius examinato, cauſa erroris innotuit; rei ignarus enim Chirurgus materiam ex variolis ſpuriis deſumtam ad inſerendas variolas vaccinas delegerat 1).

Id inſuper metuendum eſt, ne homines lucri cupidiſſimi, venia inſerendi cuique data, multifaria fraude incautam et credulam plebem fallant 2).

2. *Optima et eosdem ſemper effectus variolæ vaccinæ producens materia ad inoculationem ſeligatur.*

Ob neglectam hanc cautelam multæ, uti experientia docuit, vel inter ipſos medicos inoculatores controverſiæ exortæ ſunt.

Hinc ſequentia animadvertenda:

---

1) Cl. Odier in relatione de ultima variolarum epidemia.

2) In Gallia homines lucri cauſa, materiam pſeudovaccinam venditabant; at brevi fraus medicorum et magiſtratus cura detecta eſt. Mémoire de l'introduction et des progrès de la Vaccine en France. Par Colon. Paris 1801.

a) Si forte ab ipſa vacca materiam deſumere liceat, in id medicos ſummopere attentos eſſe oportet, ut materia ex veris, cœruleſcentis coloris puſtulis vaccarum ubera obſidentibus, eaque tenuis adhuc et lymphaticæ indolis adhibeatur. Si autem materiam ut nunc plerumque fieri ſolet ex homine deſumimus, cui variola vaccina fuerit inſita, tunc.

b) Materiam puſtula ſuppeditet omnibus characteribus veræ variolæ vaccinæ inſignita, et in homine inſitione propagata, quem antea variolis infantilibus nunquam correptum fuiſſe, certe conſtat.

c) Ex tali tantum puſtula, non autem ex aliis puſtulis, in aliis forte corporis humani locis apparentibus materia inſitioni deſtinata ſumatur.

d) Puſtula nondum aperta, humore tenui, aquoſo, pellucido turgescens, illi non abſimili, quem in veſica à cantharidibus cuti applicatis excitata conſpicimus. Solet id a ſexta ad octavam usque diem contingere; quo tempore elapſo materia turbida craſſiorque reddita, haud amplius fidum variolarum infantilium antidoton cenſenda eſt.

e) Optima variolas vaccinas inſerendi methodus in eo conſiſtit, ut materiem recentem, pellucidam mox ex aperta et turgidula veſicula ope acus filo imbuta vel lanceolæ cuſpide alterius hominis cuti inſeramus. Etſi uti ſuperius dictum eſt, materia hæc longiori étiam tempore (haud tamen ultra trium quatuorve menſium ſpatium) in ſeriorem uſum aſſervari queat.

f) Nimio caloris non minus, quam frigoris gradu, venenum variolarum vaccinarum iners redditur; neque homines contra variolas infantiles tuetur.

3. *Ea variolas vaccinas inſerendi methodus præferri meretur, qua puſtulæ immutata et naturali ſua forma incedunt, et faciltime contemplantis medici ſensibus patent.*

Methodus illa, qua inſertio ope parvi veſicatorii peragitur omnium minime in uſum trahenda eſt, quum vera variolæ vaccinæ figura ab artificiali hoc ulcere plurimum immutetur, nec eſſentialia hujus puſtulæ ſigna rite obſervare licet.

4. *Singulas mutationes, quas vulnuſculum inſitionis varia morbi periodo ſubit, illius incrementum, magnitudo, figura, ambitus, materia contenta, duratio et ſanatio accuratiſſime obſervare oportet.*

Hiſce enim ſolummodo de vera aut ſpuria Variolarum Vaccinarum indole, illiusque ſecuro contra variolas infantiles tutamine judicium ferre poſſumus.

5. *Homines, quibus Variolæ Vaccinæ inſitæ fuere, ſtudio contagio variolarum infantilium exponantur.*

Inde enim experientia plane convincimur, nullam amplius veneni varioloſi infantilis in corpus humanum poteſtatem eſſe. Legimus exempla plurima infantum, qui abſoluta variolarum vaccinarum inoculatione, in eodem cum aliis pueris, variolis infantilibus laborantibus lecto decubuiſſe, totaque die inter illos commoratos, et nihilominus à varioloſo morbo immunes manſiſſe.

In Anglia Jenner, Woodwille, Pearſon multique alii celebres medici ultra mille infantibus vaccinatis vario ab inſitione elapſo tempore variolas infantiles inocularunt, nullis poſtea ab hoc contagio variolis comparentibus. Atqui nemo jam in Anglia (niſi in noſocomio ino-

culationis, ubi hæc experimenta ſtudio repetuntur) de inſerendo vaccinatis varioloſo contagio cogitat. Lutetiæ Pariſiorum quinto à vaccinatione menſe variolarum infantilium inſitio peragebatur, nullo itidem cum effectu. Vindobonæ anno præterito Cl. Portenſchlag præſentibus quam plurimis medicis viginti infantes vaccinatos coram monſtravit, quibus contagium varioloſum absque ullo effectu inſitum fuerat. Illuſtriſſimus quoque Conſiliarius atque Profeſſor Clinices Viennenſis Frank juſſu regiminis publice in ſchola clinica idem in 16 vaccinatis experimentum, ſimilique cum effectu repetiit 1). Haud itaque perſpicio, quo argumento illuſtre nuper Collegium medicum in relatione data aſſerere potuiſſe:

Variolas vaccinas morbum equidem eſſe leviſſimum, et contra variolas infantiles hominem tueri, illam tamen immunitatem non ulta trium menſium ſpatium extendi.

Optime monuit Cl. Sacco, experimenta ejusmodi in vaccinatis (in orphanotrophiis præſertim) variis à vaccinatione elapſis temporibus repeti et inſitionis effectus accuratiſſime adnotari debere.

III.
De Optima Variolarum Vaccinarum insitionem propagandi methodo.

Quum nullum amplius dubium ſuperſit, variolarum vaccinarum inſitionem tutiſſimum eſſe adverſus variolas infantiles præſidium, omnem operam præſertim impendere oportet, ut novum hoc inventum non ſolum juxta hominum arbitrium paucis tantum hinc inde familiis ſalutem

---

1) Medic. Chir. Salzburg. Zeitung 1802. No. 8. p. 159. No. 15. p. 277.

afferret; ſed omnibus potius viribus enitendum eſt, ut quam latiſſime et celerrime hoc præſervantis medicinæ inventum propagetur. Quamprimum immortalis memoriæ vir Jennerus experimenta in re tam gravi inſtituta divulgaverat, mox plurimi, iique celeberrimi medici in variis Europæ regionibus, variolarum vaccinarum inſitionem unitis viribus promovere ſtudebant.

Hunc in finem Londini, Lutetiæ Pariſiorum, et in aliis quoque aliarum regionum provinciis medici et philantropi ſocietatem inierunt, ut vel pauperrini hoc adverſus tam gravem morbum præſidii genere frui poſſint. Ipſi inſuper medici hanc variolarum vaccinarum inſitionem gratis populo offerebant, ut itaque adverſariorum calumnia, qui medicos novo huic inſitionis genere faventes ſacræ auri famis accuſarunt, in ipſos caluminæ autores feriat.

Simpliciſſimam viam, ut mihi equidem videtur, Celebr. Sacco medicus mediolanenſis ingreſſus eſt, qui Reipublicæ Ciſalpinæ cogitata ſua de promovenda variolarum vaccinarum inſitione propoſuit, et quoque ubique, mutatis quibusdam pro locorum et circumſtantiarum diverſitate, articulis, facilem adplicationem admittunt.

1. In qualibet fere celeberiori regionis alicujus urbe, aut orphanotrophium, aut aliud piarum cauſarum inſtitutum habetur, quorum curæ medicus vel chirurgus præeſt, et ſolario gaudet.

2. Omnes in ejusmodi inſtitutis homines, ſeu infantes, ſeu adulti, à medicis conſtitutis, variolarum vaccinarum inſitioni ſubmittantur.

3. In eum finem nomina inoculatorum peculiari libro inſcribantur, additis omnibus inſitionis circumſtantiis.

4. Inſitio publice omni ſeptimana ſtatuta die et hora peragatur et medici quoque et Chirurgi, ut huic operationi velint aſſiſtere invitandi ſunt.

5. Popularis de hac re inſtructio typis mandanda gratis in provin-

ciis diſtribuenda, ſimulque monendum eſt, unde medici, variolarum vaccinarum materia deſtituti, illam adquirere poſſunt.

6. Variis temporis intervallis repetita cum variolarum infantilium inoculatione experimenta capiantur.

7. Omnium inſitionum peractarum hiſtoria literis conſignetur, ſingulis annis typis divulgenda.

Atque hoc modo deletis ſenſim de pago in pagum, de urbe in urbem, variolarum infantilium fontibus, et infantibus jam paucis à vitæ exordio diebus variolarum vaccinarum inſitioni expoſitis, omnem tandem variolarum morbum ex hominum ſocietate deleri, certiſſima ſpes affulget.

TANTUM.

Member : A B A A

F. THOMAS HELLER
Rare Books
83 Jane Street
New York 14, N.Y.

Cables: Tomeheller Newyork
Telephone: CHelsea 3-0055

July, 1956

THIS OFFICE WILL BE CLOSED FROM AUGUST 1
TO SEPTEMBER 15. KINDLY SEND YOUR ORDERS
AS SOON AS POSSIBLE

I just purchased and can quote, subject to prior sale:

LAEMMLEIN (Johannes). Dissertatio Inauguralis Medica de Variolarum Infantilium Exstirpatione Variolarum Vaccinarum Insitione Perficienda.

Basel, Flick, 1802. 4to. Unbound. 1 leaf, 18 pp. Fine, unopened copy.

$12.00

Early inaugural dissertation on Vaccination coming out in favor of compulsory vaccination of inmates of orphanages, etc.

Yale

